

reddit Pontifex ibidem sequentibus verbis : « Cum alias transactio inter personas facta potius, quam inter Ecclesias videatur : nec pacta inter alios acta aliis obesse patiamur, » sicque transactio, v. g. de solvenda dumtaxat tertia parte decimarum (de qua ibidem est sermo) per rectorem Ecclesie cum monasterio quodam inita, valet quidem in præjudicium dicti rectoris, et quamdiu tenebit Ecclesiam, etiamsi superioris auctoritas non intercesserit; sed non obligat successorem, cum sit mere personalis, sicque cum persona extinguitur. Simile quid habet concilium Trident. sess. 6, cap. v. *de Reformat.* ubi inter alia provide decrevit, ut « Capitula cathedralium nullis concordiis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, » quominus a suis episcopis juxta canonicas sanctiones visitari valeant.

64. *Secus, si fuerit confirmata ex certa scientia per Sedem Apostolicam.* — Resp. III. Nihilominus transactio personalis super rebus Ecclesie fit realis, et obligat successores, si fuerit per Sedem Apostolicam confirmata : dummodo tamen confirmatio non fuerit in forma communi, sed ex certa scientia. Ita desumitur ex cit. c. *Veniens*. h. t. juncta Glossa ibid. §. *Confirmatam*. et sequitur Fagnanus in d. c. *Veniens*, numer. 3, h. t. citans alios; ac Rota, decis. 2, et 44, part. IV. recent. quam allegat Turricellius, *de Rebus Ecclesie non alienand.* cap. ix. Nam Papa potest facere, ut transactio, quæ nulla est, sit aliqua, arg. c. *Cum apostolica*. *De his quæ fiunt a prælat.*; ergo multo magis potest efficere, ut sit alia, nempe ut ex personali fiat realis; quia plus est, de nihilo aliquid facere, quam de aliquo aliud, arg. c. *Revera*, *de Consec.* dist. 2.

TITULUS XXXVII.

De Postulando.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quando lis inter partes suborta, per pacta vel transactiones nondum fuit sopita, sed judicis sententia mediante processu judiciario postulatur, et expectatur : ante omnia necesse est, ut litigaturi idoneos sibi advocatos, et procuratores ad causam instituendam, atque prosequendam inquirant et constituant : adeo

quidem, ut si pars aliqua vel ob inopiam vel ob potentiam adversarii, advocatum habere nequeat, judex idoneum dare teneatur; ut cap. i. *de Offic. judic.* et l. I. §. *Ait prætor*. ff. h. t. estque jam alibi dictum. Unde merito post rubricas de pactis, et transactionibus, agitur in hoc et sequenti titulo, de advocatis et procuratoribus. Proinde sit

§ I.

DE MUNERE, ET POTESTATE POSTULANDI.

2. *Postulare late, quid?* — Quæritur I. Quid, et quale munus sit postulare? Resp. I. *Postulare* late loquendo idem est, ac petere aliquid, seu animi sui desiderium exponere. Atque in hoc largiori sensu *ly postulare* non solum in communi modo loquendi frequenter accipitur, sed etiam superius in titulo, *de Postulatione prælatorum* inscripto : hæc enim aliud non est, quam alicujus personæ ad dignitatem ecclesiasticam erga superiorem directa petitio, ut eam dispensative admittere velit. Verum *de Postulando* in hac largiori acceptance impræsentiarum non agitur : unde

3. *Postulare stricte, seu quantum ad propositum, quid?* — Resp. II. Quantum ad propositum, et strictius loquendo, « *Postulare* est desiderium suum, vel amici sui, in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. » Ita habet textus expressus in l. I. §. *Postulare*. ff. *de Postulando*; estque communis. Ubi *ly* « desiderium suum, vel amici sui exponere, » ad actorem, seu ejus advocatum pertinet : *ly* autem « vel alterius desiderio contradicere, » spectat ad reum, atque. Vallensi, h. t. n. 1.

4. *Postulantes alio nomine vocantur advocati.* — Dicitur etiam, « desiderium suum, vel amici sui, » ad indicandum, quod non solum pro se possit quis postulare, allegando coram judice rationes, sive in jure, sive in facto consistentes, quæ negotio et causæ suæ expediant; sed hoc ipsum etiam præstare valeat pro alio. Et quidem postulantes alieno nomine, sive pro alio, communiter dicuntur « advocati, patroni causarum, oratores et causidici, » eo quod in judicio dicant causam sui clientuli, et pro eodem postulent, desiderium ipsius exponentes, aut alterius desiderio contradicentes.

5. *Consulens in loco privato, non potest dici postulare.* — Et additur « in jure, » hoc est, in judicio, sive in loco, in quo solet jus reddi,

ut explicat Glossa ibid. §. *In jure*. Et per hoc concluditur, quod ille, qui dumtaxat in loco privato, ut puta in cubiculo, cuiquam consulit, seu causam ipsius adjuvat, non possit dici *postulare*, seu advocatum agere. quia nimirum hoc non facit in judicio. Unde ulterius sequitur, quod ille, qui a jure prohibetur postulare, non ideo prohibeatur consilium dare.

6. *Munus postulandi est publicum, atque honorificum. Advocati equiparantur militibus.* — Resp. III. Munus postulandi est publicum, atque honorificum, ad quod non admittuntur nisi probi et habiles. Ita communis. Idque patet ex l. *Advocati* 14. C. *de Advocatis divers. judicior.*, ubi inter alia encomia, advocati militibus equiparantur : nam per eos quasi per milites, vita, spes, et patrimonia hominum periclitantium defenduntur : unde in l. *Sancimus, Advocatis*, et seqq. C. eod. diversa advocatis privilegia conceduntur, de quibus juristæ.

7. *Procuratoris officium est vile, privatum et onerosum.* — Hinc Glossa in l. I. §. *Certis personis*, ff. h. t. notabile ponit discrimen inter advocatum, et procuratorem. Ait enim, quod advocatum esse, sit honor : nam laudabile, vitæque hominum necessarium est advocacy officium, quod maxime principibus præmiis oportet remunerari, l. *Laudabile*. C. *de Advocatis diversor. judicior.* et concordant jura proxime citata. Econtra procuratorem esse, est onus : quia officium procuratoris est vile et privatum, atque onerosum, arg. l. *Si quis*, 34, juncta Glossa in C. *de Decurionib.* l. X, ubi proin consilarii prohibentur sub gravibus pœnis, constitui ac fieri procuratores, « ne existimationem suam servili obsecundatione damnent, » ut loquitur textus. Atque ex hoc discrimine sequuntur plures aliæ differentie inter utrumque, de quibus infra tit. seq. § 1. n. 7. et seqq.

8. *Postulare, seu advocatum agere possunt omnes quibus id non reperitur interdictum.* — Quæritur II. Quinam postulare, vel advocatum in judicio agere prohibeantur? Resp. I. Postulare, seu advocatum agere possunt omnes, quibus id in jure non reperitur interdictum. Ita Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 2, *Speculator*, tit. *de Advocat.* n. 4. et alii. Nam edictum de postulando prohibitorium est, sicut et illud de procuratore constituendo, l. *Mutus*, § 1, ff. *de Procuratorib.* et illud de testibus, l. I, ff. *de Testib.* Ac proinde, quicumque non prohibetur expresse, per conse-

quentiam admittitur, c. *Cum apud Sedem*. 23. *de Sponsalib.* juncta Glossa ibid. §. *Prohibitorium*.

9. *Successu temporis istud est restrictum ad peritiam juris habentes.* — Cæterum licet antiquitus moris fuerit, ut cuivis de jure non prohibito, et studiorum suorum fiduciam habenti, aut saltem factorum peritia pollenti, postulare et advocatum agere licuerit, arg. l. II. C. *de Postulando*, juncta Glossa ibidem, et notat Zoesius n. 3. ff. h. t.; nihilominus successu temporis non alii advocatorum officio sociari permissi fuerunt, nisi qui de peritia juris competens testimonium accepissent, l. *Nemini*, C. *de Advocatis diversor. judicior.*

10. *Et quid hodie servetur ex recessibus Romani imperii.* — Addit Engel. h. t. n. 8. quod hodie de recessibus Romani imperii, et consuetudine generali omnium ferme majorum tribunalium, advocare non permittantur, nisi qui gradum saltem licentiatum in jure, et specialiter facultatem advocandi a judice obtinuerint : imo quod in multis locis etiam libelli partium non recipiantur, nisi sint subscripti ab aliquo approbato avvocato. Idque ex eo factum videtur, ne alioquin advocacy officio temere se ingerant, qui justitiam causæ vel ob imperitiam, vel ob malitiam forte minus expendant, sicque grave suis clientelis damnum inferre possunt. Si tamen aliquis pro se, seu in propria causa postulare, atque advocati vices supplere velit, admitti solet; sibi tamen imputet, si quid minus bene exponendo detrimentum patiatur.

11. *Aliqui de jure communi prohibentur in totum postulare.* — Resp. II. Generatim loquendo, de jure communi quidam in totum postulare prohibentur; quidam pro se solum postulare possunt, non vero pro aliis; quidam et pro se, et pro aliis, sed certis dumtaxat personis, hoc est, pro conjunctis, non item pro cæteris postulare permittuntur. Ita habetur expressum in can. *Infames*. 3. q. 7. circ. inil., et l. I. § 1. ff. h. t. ubi in progressu singula membra declarantur.

12. *Aliqui de jure communi prohibentur in totum postulare.* — Et quidem imprimis in totum postulare prohibentur illi, qui sunt minores septemdecim annis; idque ob judicii infirmitatem. Item omnino sardi, cum nequeant judicis verba audire; sicque in manifesto periculo existant, ne non audito decreto ipsius, quasi non obtemperassent, ve-

luti contumaces condemnentur. His addi possunt amentes et furiosi, eo quod usum rationis non habeant.

13. *Aliqui pro aliis non possunt postulare, bene tamen pro se ipsis.* — Deinde inter illos, qui pro aliis postulare prohibentur, licet possint pro se ipsis, numerantur foeminae, ne contra pudicitiam sexui convenientem alienis causis, ac officiis civilibus et publicis, sese immisceant, nisi forsitan mater sit tutrix in causa filii, quia tunc per se ipsam posset stare in iudicio, et pro filio postulare, argument. cit. can. *Infames*, 3, quæst. 7. et *Puto autem* ff. h. t. ac notat Pirhing h. t. num. 4. Insuper pro aliis propter turpitudinis notam postulare prohibentur, qui muliebria passi sunt, nisi forte per vim stuprati probentur: item qui capitali crimine, vel calumniæ causa publico iudicio condemnati sunt; vel qui operas suas locaverunt, ut cum bestiis depugnarent in arena. Textus est in cit. can. *Infames*. et l. I. ff. h. t. Huc, spectato jure canonico, pertinent excommunicati. c. *Intelleximus*. 7. de *Judiciis*, juncta Glossa ibid. §. *Conveniri*.

14. *Aliqui et pro se, et pro conjunctis personis postulare possunt, non vero pro aliis. Conjunctæ personæ quæ dicantur?* — Tandem in tertio ordine ponuntur illi, qui ut infames notantur; isti enim pro se, et pro conjunctis dumtaxat personis postulare possunt, non autem pro aliis, etiamsi adversarius eos postulare patiat, l. *Quos prohibet*. ff. h. t. Porro inter « conjunctas personas » numerantur parentes, liberi, fratres, sorores, uxor, socer, socrus, gener, nurus, vitricus, noverca, privignus, privigna, patronus, ejusque liberi; item illi, quorum tutelam cautionemque quis gerit, ut sunt pupilli, furiosi, fatui, et hujusmodi, qui recensentur in cit. l. I et seqq. ff. eod.

15. *Clerici in sacris, vel beneficiati, in foro sæculari postulare non possunt.* — Quæritur III. Utrum clerici possint postulare, seu agere advocatum ad lites? Resp. I. Clerici in sacris ordinibus constituti, aut saltem beneficium ecclesiasticum habentes, in foro sæculari postulare, seu advocatum ad lites agere non possunt; nisi pro se, aut Ecclesia sua, vel pro miserabilibus personis id fiat. Ita communis doctorum; et habetur expressum in cap. I. h. t. Et merito, quia nemo militans Deo, debet se sæcularibus negotiis implicare, II *Timoth.* II, 4 et cap. I. *Ne clerici vel monachi*, etc. Atqui advocare coram iudice sæ-

culari est negotium sæculare, cit. cap. I, *Ne clerici vel monachi*, etc.; ergo.

16. *Bene tamen clerici in minoribus ordinibus constituti, si beneficium non habeant.* — Dicitur imprimis, « clerici in sacris constituti, aut beneficium, » etc. Nam argumento a sensu contrario desumpto, clericus in minoribus ordinibus constitutus, si beneficium non habeat, postulare, seu patrocinari potest etiam in foro sæculari; nullo enim jure istud ei prohibitum reperitur, cum textus in cit. cap. I, h. t. solum loquatur de clericis, qui constituti sunt in sacris, aut beneficii ecclesiastici stipendiis sustentantur. Hi siquidem partim ratione excellentiæ sui status, seu ordinis sacri, quem habent, partim ratione beneficii ecclesiastici, ex quo sufficienter sustentantur, coram iudice sæculari advocare prohibentur, et quantum ad propositum æquiparantur; uti liquet ex verbis cit. cap. I. h. t. et notant ibidem Glossa, Abbas, et Fagnanus n. 3, citans alios.

17. *In foro ecclesiastico potest etiam clericus in sacris, aut beneficium habens, pro aliis patrocinari.* — Dicitur ulterius « in foro sæculari. » Nam in foro ecclesiastico potest etiam clericus beneficiatus, aut in sacris constitutus (dummodo non sit sacerdos) pro aliis patrocinari: argumento rursus a sensu contrario desumpto, et notat Abbas in cit. cap. I. num. 3. h. t. allegans doctores communiter. Et hoc adeo verum est, ut clericus in sacris, vel beneficiatus, coram iudice ecclesiastico possit etiam pro laico patrocinari. Fagnanus in d. cap. I, num. 7, h. t. et Federicus de Senis, consil. 270, id probans ex c. *Per venerabilem*, *Qui filii sint legit.* ubi apparet, quod archiepiscopus Arelatensis fuerit procurator regis in audientia Papæ.

18. *Dummodo non sit sacerdos.* — Additur notanter, « dummodo non sit sacerdos. » Nam quia sacerdotis est officium, nulli nocere, omnibus autem velle prodesse; non nisi pro se ipso, vel Ecclesia sua, vel (si necessitas immineat) pro personis conjunctis, aut miserabilibus, etiam in foro ecclesiastico postulare potest. Textus est in cap. ult. h. t. ac notat Abbas ibid. n. 5; Fagnanus, n. 4, citans doctores communiter.

19. *Pro se, aut Ecclesia sua, vel pro miserabilibus personis possunt clerici in sacris, ac beneficiati in foro sæculari postulare, seu advocatum agere.* — Dicitur tertio, « nisi pro se aut Ecclesia sua, vel pro miserabilibus personis id fiat » In his enim tribus casibus possunt

clerici, etiam in sacris constituti, ac beneficiati, in foro sæculari postulare, seu advocatum agere, saltem in causis civilibus, vel criminalibus civiliter intentatis: ut puta, quando clericus sequens forum rei, convenit laicum coram iudice sæculari ratione alicujus rei, quam ad ipsum, vel Ecclesiam, vel ad miserabilem personam, quam defendere ex misericordia et charitate desiderat, pertinere cognoscit; vel quando clericus vult laicum ratione delicti, seu maleficii, in se, vel Ecclesiam commissi, citra pœnam sanguinis in foro sæculari convenire; prout potest juxta c. *Cum sit generale*, 8, de *Foro compet.* et cap. II, de *Homicid.* in 6.

20. *Miserabiles personæ, quæ?* — Porro pro « miserabiles personæ » generatim loquendo intelliguntur illæ, super quibus natura movetur ad miserandum: uti sunt pupilli, viduæ, diuturno morbo fatigati, debiles, aliique fortunæ injuria miserabiles, L. un. C. « Quando imperator inter pupillos et viduas, » etc. Verumtamen hoc loco inter miserabiles personas, pro quibus postulare cuilibet clerico permittitur, solum veniunt eæ, quæ ita sunt miserabiles, « ut proprias causas administrare non possint; » prout loquitur textus in cit. cap. I. h. t. Ubi proin Abbas num. 1, et Fagnanus ibid., num. 18, citans alios, merito inde concludunt, quod ponderando allegatum textum, ad hoc, ut clericus in sacris, seu beneficiatus, possit in foro sæculari advocatum agere pro laicis, non sufficiat harum miserabilitas in habitu (dantur enim quandoque viduæ, ac pupilli divites, qui aliunde sufficienter ad causas suas administrandas), sed requiratur miserabilitas in actu; ita videlicet, quod ipsi per se non possint causam promovere; sive dein id accidat ob paupertatem, sive ob aliud impedimentum aut impotentiam, ratione cujus propria defensione carent, sicque ecclesiastico auxilio indigent. arg. can. *Pervenit*, dist. 86. in fine et can. *Defensionis*, dist. 87.

21. *In causis criminalibus, ubi agitur de pœna sanguinis, clericus omnino abstinere a postulando.* — Notanter vero additur num. 19. in fine, « circa pœnam sanguinis. » Nam in causis criminalibus, ubi venit pœna sanguinis imponenda, debet clericus omnino abstinere a postulando pro aliis, c. *Sententiam*. 9. *Ne clerici vel monachi*, etc. Atque hoc indubitanter tenendum est, quando clericus in causa sanguinis vult esse ex parte actoris: idque ob metum irregularitatis, quam incurreret, si ex

suo consilio sequeretur mors, aut mutilatio rei, can. *Si quis viduam*, dist. 50.

22. *Etiam ex parte rei, et ad hujus defensionem.* — Quin etiam tutius est, ut clericus in causa sanguinis omnino non patrocinetur, ne quidem ex parte rei, atque ad hujus defensionem; uti notat Glossa in c. *Aliquantos*. §. *Ad sacerdotium*, dist. 51. et Abbas in cap. I. num. 5, h. t. Ratio est, quia facile potest contingere, ut clericus advocatus vel propter suam imperitiam et defectu practicæ judicialis succumbat, sicque ex sua culpa reus innocens occidatur: vel ut econtra propter astutiam suam reus nocens absolvatur, et tunc accusator in probatione deficiens, pœnam talionis sustinere, et mori cogatur; cujus mortis causa saltem per quamdam consequentiam clericus ille fuisset, prout amplius deducit Glossa citata. (ADNOTATIO XVII.)

23. *Clericus non potest contra Ecclesiam, in qua beneficium habet, pro extraneis advocatus, vel procurator existere; alioquin spoliatur beneficio.* — Resp. II. Nullus clericus potest contra Ecclesiam, a qua beneficium obtinet, pro extraneis advocatus vel procurator existere: quod si hoc facere præsumperit, tanquam ingratus poterit beneficio suo spoliari. Textus est in cap. ult. §. *Clericus*. h. t. ubi Glossa istud extendit ad casum, quo clericus habet beneficia in pluribus ecclesiis: quia non potest præstare patrocinium uni contra alteram, sed debet neutram juvare, vel offendere, arg. can. *Denique*. 14. q. 5. vel personam mediatoris assumere, ut addit Abbas in cit. cap. ult. num. 5. Nisi forsitan in una ecclesia foret prælatus, et in altera haberet dumtaxat beneficium simplex: quia tunc videtur, quod ratione prælaturæ possit contra aliam stare, arg. can. *Infames*. §. *Item si contra patrem*. 2. q. 7. Concordat textus, et Glossa fin. in can. *Si qui presbyteri*. 1. q. 7.

24. *Monachi, alique religiosi, non possunt advocatum agere in iudicio.* — Quæritur IV. Utrum monachi, alique religiosi possint postulare, seu advocatum agere in iudicio? Resp. I. Monachi, alique regulares, non possunt postulare, seu officium advocatorum exercere in iudicio, nisi pro utilitate sui monasterii, et accedente simul mandato proprii prælati regularis. Ita habetur in cap. II, h. t., ubi illud, quod olim in can. *De presentium*. et can. *Monachi*. 16. q. 1, quoad propositum de monachis statutum fuerat, etiam ad canonicos regulares aliosque religiosos extenditur: idque ob paritatem rationis, cum etiam

hi profiteantur tria vota substantialia religionis.

25. *Nisi pro utilitate sui monasterii, et accedente licentia praelati, copulative.* — Additur notanter, « accedente simul mandato proprii praelati. » Nam, ut notat Abbas in cit. cap. II. n. 2 et 3. h. t. illa duo, nempe utilitas monasterii, et licentia abbatis, copulative requiruntur ad hoc, ut possit monachus advocatum agere in iudicio, nedum ecclesiastico, sed etiam sæculari: quamvis sufficere possit utilitas monasterii, saltem in consequentiam emergens; ut si tractetur causa boni amici, qui monasterio utilis existit.

26. *Fratres minores nec possunt personaliter assistere advocatis, dum ipsorum negotia temporalia aguntur in curiis.* — Quinimo in ordine Fratrum Minorum illud habetur speciale, quod ipsi non solum nequeant esse advocati, etiam de mandato suorum superiorum, sed insuper non possunt personaliter assistere advocatis et procuratoribus ad eosdem instigandos, quando ipsorum negotia pro rebus temporalibus aguntur in curiis; prout liquet ex Clem. Exvii. § *Proinde, de Verb. signif.* Ratio hujus redditur ibidem: quia Fratres Minores nihil habent proprium, ne quidem in communi: atqui « ex talibus assistentiis in curiis et instigationibus, cum de rebus agitur in ipsorum commoda convertendis, creduntur verisimiliter ex his, quæ foris patent (de quibus habent homines foris iudicare) in ipsis rebus fratres assistentes aliquid quærere tanquam suum, » prout argumentatur Pontifex ibidem; ergo nullo modo debent hoc facere, « ut et testimonium habeant ab his, qui foris sunt, et puritati satisfaciunt voti sui, ac evitetur per hoc scandalum pusillorum, » prout ibidem subjungitur.

§ II.

DE OBLIGATIONE POSTULANTIUM, SEU ADVOCATORUM.

27. *Obligatio postulantium, seu advocatorum, generatim quotuplex?* — Quæritur I. Quotuplex generatim sit obligatio postulantium, seu advocatorum? Resp. I. Licet multiplex sit obligatio advocatorum, ea nihilominus cum sancto Joanne a Capistrano, tom. I. *Tractatum*, tract. *Speculum conscientie*, intitulato. § *Restat ultimum*. num. 29 et seqq. commode ad quatuor principalia capita revocatur, videlicet: ut advocati attendant imprimis ad qualitatem causæ; deinde

servent modum advocandi, consistentem in modestia, veritate, et fidelitate; tertio, ut servent convenientiam salarii, et quarto, ut non paciscantur de quota litis, nec alium cum suo clientulo contractum ineant. Et de his omnibus singillatim loquendo,

28. *Qua ratione teneantur advocati attendere ad qualitatem causæ? Non possunt suscipere causam certo injustam, et desperatam.* — Resp. II. Imprimis itaque officium advocati est, attendere ad qualitatem causæ. Debet enim bonus advocatus ante omnia diligenter inspicere causæ sibi propositæ æquitatem, vel probabilitatem, aut saltem dubietatem (nam quod advocatus causæ dubiæ, seu controversæ, patrocinium licite possit assumere, cum communi aliorum, jam dixi in *Theologia morali*, tract. 4, distinct. 3, num. 63 et seqq.) et quando talem viderit, eam si vult suscipiat. At vero, si causam sibi propositam cognoverit esse certe injustam, seu penitus desperatam, aut ex mendacibus allegationibus compositam, nullo modo ejus patrocinium suscipiat, sed omnino renuat. Textus est in l. *Rem non novam*. § *Advocati*. C. de *Judiciis*. Accedit ratio: quia advocatus, qui sciens prudensque causæ injustæ patrocinatur, agit contra propriam conscientiam: simulque partim cooperatur peccato alterius, qui injustam causam urget; partim injuste lædit oppositam partem, quam sciens habere justam causam, nihilominus spe forsan lucri temporalis impugnare, et molestare non desinit. Unde etiam tenetur ad restitutionem illius damni quod contra justitiam per ejus auxilium pars læsa incurrit. D. Thomas 2. 2. quæst. 74. art. 3. et alii.

29. *Quid agendum advocato, si causa clientis in progressu appareat injusta, quæ ab initio videbatur justa, vel saltem probabilis?* — Quod si vero causa clientis a principio videbatur advocato justa, vel saltem probabilis aut dubia, sed in progressu appareat eam esse injustam, tenetur ipsam advocatus illico deserere, atque clientem suum inducere, ut a lite desistat, aut cum adversario componat absque ejus damno: idque tum per cit. l. *Rem non novam*. § *Patroni*, C. de *Judiciis*; tum per rationes proxime dictas. Non tamen hujusmodi advocatus debet causam aliis procedere, nec aliam partem juvare, aut secreta suæ causæ adversario revelare (hæc enim omnia pugnant contra fidelitatem, quam ex officio tenetur servare suo clientulo), sed debet causam deserere, vel eum, cujus causam

§ II. DE OBLIGATIONE POSTULANTIUM, SEU ADVOCATORUM.

agit, inducere ad cedendum, sive componendum sine adversarii damno. Thomas cit. q. 71. art. 3. ad 2; S. Joannes Capistranus, loc. cit. num. 29.

30. *An tunc possit clientulum inducere ad transigendum?* — Additur notanter, « sine adversarii damno. » Nam, quando advocatus certo novit injustitiam causæ, non potest clientulum suum, quem novit fovere injustam causam, inducere ad transigendum cum altera parte; tum quia transactio non habet locum nisi de re dubia, et lite incerta (qualis in proposito) non amplius extaret; tum quia advocatus partem suam inducens ad transactionem post cognitam injustitiam causæ suæ, consultit ipsi, ut alienum rapiat; sicque non solum peccat, verum etiam ad restitutionem tenetur, quia dat causam damno, quod ex tali transactione (utpote quæ non fit nisi aliquo dato et retento, vel remisso) alteri justam causam fomenti emergit. Joannes Bapt. de Caccialupis, t. III *Tractatum*, tract. de *Advocatis*. quæst. 4. n. 5 et alii.

31. *Advocatus qua ratione teneatur servare modum advocandi?* — Resp. III. Ad officium et obligationem advocati etiam pertinet servare modum advocandi: alioquin talis a professione advocatorum merito est removendus can. *Infames*. § *Arcentur*. 3, q. 7, et l. *Quisquis vult*. C. h. t. Consistere autem debet modus advocandi in tribus, videlicet in modestia, veritate, et fidelitate seu legalitate, ut inquit S. Joannes Capistranus, loc. cit. n. 30 et seqq. Ac de his tribus singillatim agendo.

32. *Tenetur servare modestiam in advocando, et abstinere ab injuriis.* — Quæritur II. Qua ratione advocatus teneatur servare modestiam veritatem, et fidelitatem? Resp. I. Modestiam, tenetur advocatus observare, ut non procaciter, nec conviciando, aut vociferando proponat, sed agat quæ pro causa desiderat, et ab injuriis et maledicendi temeritate se temperet; alioquin enim impediretur honestus justitiæ processus. Quinimo, si advocatus « adeo procax fuerit, ut non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis suæ imminutionem patiat; » uti loquitur textus in cit. § *Arcentur*. et d. l. *Quisquis vult*. C. h. t. ubi Glossa, § *Opinionis*. inquit, quod juxta quosdam ejusmodi procax advocatus reddatur ipso jure infamis; vel saltem (ut Glossa tenet) ejus opinio gravetur, et apud bonos et graves viros imminuatur.

33. *Atque servare veritatem; et qua ratione? Utens falsis pro veris, falsi crimen incurrit.* —

Resp. II. Veritatem tenetur advocatus servare, ut non mentiatur, nec falsa jura, seu falsas leges, aut Glossas alleget, neque falsa instrumenta, sive falsos testes, aut falsas rationes probationesque adducat. Quinimo scienter utens falsis pro veris, falsi crimen incurrit c. *Dura sæpe*. et seqq. de *Crimine falsi*, et l. I, ff. *Ad legem Corneliam de falsis*.

34. *Bonus advocatus dicit clienti: Si sic respondebis, perdes causam; si aliter, et contra veritatem, perdes animam.* — Insuper veritatem pertinet, ne advocatus suadeat clientulo qualiter respondeat articulis, positionibus, seu interrogationibus partis adversæ, contra cognitam veritatem, ut obtineat. Væ enim talibus! Bonus advocatus dicit clientulo suo: « Si sic respondebis, perdes causam: si aliter, et contra veritatem, perdes animam. » Joan. Andreas in c. *Præsentium*. de *Testib.* lib. VI, Caccialupis cit. tract. de *Advocatis*. quæst. 4, n. 13.

35. *Non subtrahat adversario suæ defensionis copiam, nec superfluas petat dilationes.* — Ulterius ad veritatem ab advocatis observandam spectat, ne adversario fraudulentæ suæ defensionis copiam subtrahat; alioquin ipso facto ostendit iniquam a se litem foveri, cit. can. *Infames*. § *Si quis autem et litigatoribus*. 3, 7, et l. *Providendum*. C. h. t. Item, ne superfluas, et non necessarias dilationes petat in gravamen partis, neque superstitionis cavillationibus innitatur, l. *Quisquis vult*. C. eod. et l. *Properandum*. § *Illo procul dubio*. C. de *Judic.*

36. *Licet possit occultare ea, quibus impediri posset processus.* — His tamen non obstantibus, licitum est advocato defendenti justam causam, occultare ea, quibus impediri posset processus: sicut et in bello justo licitum est ex insidiis agere, ea quæ agenda sunt prudenter occultando. Nunquam tamen licet uti aliqua falsitate. S. Joannes Capistranus, loc. cit. n. 32 et 33, post D. Thom. 2, 2, q. 71, art. 3, ad 3.

37. *Fidelitatem tenetur advocatus servare; et qua ratione?* — Resp. III. Fidelitatem quoque (quam S. Joannes Capistranus etiam *Legalitatem* appellat) tenetur advocatus servare, ut, in quantum justitia permittit, causam sui clientuli foveat, et pro viribus defendat, per distinctas allegationes et rationes jurium, ea omnia proponendo in iudicio, quæ ad causam sui clientis sive de jure, sive de facto faciunt, nihilque de contingentibus omittendo. Ad hoc enim vi sui officii, et recepti salarii, obligatus existit, ut d. l. *Properandum*. § *Il-*